

XVII.

MIRACULUM
NATURÆ,
MAGNES

DE QVO
IN ALMA LEUCOREA
PRÆSIDENTE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM COLLEGIJ
DECANO SPECTABILI

DN. JO. FR. SCHARFIO, P. U. J. D.

PATRONO SUO ATQVE PROMOTORE
ÆTATEM DEVENERANDO,


DISPUTABIT PUBLICE

JOHAN: CHRISTOPHORUS VIEBEG,

PHILOSOPHIÆ CANDIDATUS,

VI. JDUUM OCTOBR. A. ÆR. VULG.

c1, 1, c LXXIV.



Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Physica.

456,53

325. Jnys.

MIRACULUM
MAGNES

DE ORO
PRAESIDIUM
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.
L. G. O. H. B. S. I. C. A. E. I. C. A.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Quod benè vertat Altissimus! precamur.

§. 1.



NDisputationis hujus vestibulo indagare placet: *An Magnes semper fuerit, & etiamnum sit in rerum natura?* posterioris affirmationem cottidiana defendit experientia, per totam Europam Magnetem exhibens, quod inductione probari potest. Invenitur enim Magnes passim in Germaniæ ferri fodinis. In Anglia, in Hispania, in Francia, per totam Arverniam. Italia ita eo abundat, ut totus Apenninus ex austro in Boream concatenatis montibus porrectus non immeritò ejus continuata vena dici possit. Ilua quoque, Sardinia, Corsica, India Orientalis, China, Bengala, Natolia, Macedonia, Bœotia, Hybernia, Norwegia, Dania, Suecia, Lapponia, Livonia, Russia, Prussia, Polonia, Hungaria, Tartaria, aliæque innumerae regiones multò pondere magnetem eruunt; ut itaque nemo, nisi insensatus magnetem haberi negare possit.

§. 2. Quod autem prius concernit, varii varia sentiunt. Ego verò affirmativam maximè propugnari posse existimo, sacrarum ac profanarum literarum ductus indicis. Notum enim est ex Mosis antiquissimi Scriptoris primo Volumine, cum protoplastus Adam terris adhuc superesset, *Tubalcainum*, (qui erat quintus Maledicti in mundo primogeniti nepos) *fuisse Malleatorem & fabrum in omnia opera æris & ferri*; sive ut Thargum Onkelos: *magistrum primum omnium scientium opus æris & ferri*. Ex quo patet, tum temporis jam itum fuisse in viscera terræ, quibus tanquam repositoriis inclusa metalla latebant. Sive jam Tubalcainus, sive alius quispiam in fodinis desudaverit, re-

qvirebantur tamen venæ metallares, & quæ ad ferrarium cum-
primis spectabant, ferrifluæ. Hæc cum ita sint, nec ullibi venæ
ferreæ sine Magnete, ut infra demonstrabitur, reperiantur, quis
dubitaret, subinde aliquas verioris magnetis partes inter fodien-
dum in instrumentis fossorum ferreis se prodidisse, quin imò ali-
ter fieri neq̄viverit? Verisimilimum igitur est Magnetem cognitum
fuisse, & si in tantâ admirandarum virium, quas primi isti homi-
nes divini Numinis assistentiâ edocti in rebus naturalibus co-
gnoscebant, copiâ & varietate præ aliis utilioribus non tanti ad-
huc fieret; nec etiam sequeretur, hominibus incognitum, planè
non fuisse. Sed hæc de Antediluvianis. Post primi porrò sæ-
culi dilutionem Magnetem extitisse, Auctorum testimonia
comprobant exemplis. PLUTARCHUS libro de Osiri & Iside,
ex Manethone antiquissimo rerum Ægyptiacarum scriptore ossa
Hori & Typhonis (de quibus G. J. VOSSIUS, l. 2. de Theol. Gent.
6. 24. & 75.) Magnete & ferro symbolicè apud Ægyptios designa-
ta fuisse, refert. Jam autem non-entis nullæ affectiones nullæ
designationes. Concludit & CL. KIRCHERUS magnetem ad
ⲙⲉⲓⲗⲁⲓⲁ sive amuleta prophylactica veteribus Ægyptiis adhi-
bitum fuisse, ex indicio Hieroglyphici illius heliocanthari, è
magnete vivacissimo effigiati, & ex Ægypto non ita pridem à
JOANNE GRAVIO Anglo asportati. Accedunt plurima, quæ
ab Auctoribus traduntur, Magnetis specimina, maximam partem
fabulis quàm veritati affinia; ut de vitulis Jeroboami, vi magne-
tis in aëre pendulis: item de Mythræ Persicæ, Solis ferrei in fano
Serapidis, in Hieropolitano Deæ Syriæ, in Alexandrino arcæ A-
rinoeæ, aliorumque simulacrorum passim in delubris vi magne-
tismi sublatione & in libero aëre detentione: nec desunt RABBI-
NI, qui in tertio Rationalis ordine Magnetem sub nomine *טב*
Sebabo positum fuisse asserant; quæ omnia certa tradituris citan-
do attigisse sufficiat. Verum enimverò, utut se res habeat, cer-
tum est ferrifodinis nunquam destitutos fuisse mortales, Ergò nec
Magnete: quamvis concedi possit, illum forsitan aliquando la-
tuisse incognitum, ex quâ tamen ignorantia ad ejus non esse argu-
mentatio iterum non procedat; cum hâc ratione & Americam
per aliquot annorum chiliadas ignotam, non extitisse, & per
confe-

consequens, Columbi tempore noviter creatam fuisse dicere oporteret.

§. 3. Cæterum, *an omnes Magnetis effectus quovis tempore cogniti fuerint?* alia sed & ipsa maximè vexata Quæstio est. De attractione ferri rem puto in propatulo esse: quippe, quâ ducti homines nobilitatem lapidis primò observabant, cum eum aliàs non pluris ac silicem æstimaturi fuerant. Non enim Magnes tanto splendore coloris, aut duritie, velut Gemmarum species, generositatem suam inventori prodere pollebat, qui juxta Poëtam

*De color, obscurus, vilis: non ille repexam
Casariam regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec insigni pendet per cingula morsu.*

Ergò, per manifestiorem & miraculosum effectum pretiositas declaranda fuit, quo sibi similia corpora attraxit.

*Hinc nova si videas nigri miracula Saxi
Tunc superat pulcros cultus, & quicquid Eois
Indus littoribus rubrâ scrutatur in algâ.*

Utrum verò verticitas ejus & dispositiva vis ad axem mundi, & consequenter usus pyxidis nauticæ æquali tempore perspectus fuerit, meritò quis dubitet: quamvis multi ad probandum illud anxie varia detorserint. Nonnulli ex Plautinis versibus in Mercatore demonstrare conantur.

*Hic secundus ventus est, cape modo versoriam
Hic favonius serenus est, hic auster imbricus.*

Quod & LEVINUS LEMNIUS de usu Magnetis navali intelligit, lib. 3. de Occult. Nat. Mirac. cap. 4. Verum KIRCHERUS ibi versoriam pro temone & velo accipi debere censet, lib. 1. de Magn. p. 1. c. 3. Ubi etiam ALBERTI MAGNI & VINCENTII BELLOVACENSIS testimonia ex supposito quodam Aristotelis libro, de conversiva vi Magnetis ad Zoron & Ason (incognita naturæ monstra) refutat, cum prius & errorem libri, cui titulus est: *Admiranda Ethnicæ Theologiæ mysteria propalata*, detexisset; qui non tantum Magnetem antiquissimis nationibus pro Deo cultum, sed & toto orbe celeberrimam Bembinam Ægyptiorum tabulam nisi navigationem ope magneticæ pyxidis, & nauticæ seu hydrostaticæ tabulæ subsidio peractam affirmat. Insuper Zoroastræa

numina, Orimafium & Arimarium, ritus Orphei, mysteria Isis & Osiridis, sacrificia Mythræ, Elloia Europæ, Tauros Erinnyos, ac Ætæ, immò omnes fabulas magneticæ navigationis signa extitisse ridiculosius quàm verius prodit. Utut autem sit, siue omnes vires magnetismi Veteres cognoverint, seu secus, sufficere nobis demonstrasse, quod in præcedentibus factum est, Magnetem nunquam abfuisse.

§. 4. His ita præmissis, aggredior nunc ipsam Magnetis generationem, circa quam potissimum hæ observandæ veniunt Causæ. Efficientes igitur remotas, quas & eodem titulo tota rerum universitas veneratur, pono Deum & Naturam. DEUS enim absconditas ab æterno potentias admirandis effectibus in principio prodidit: Postmodum verò Natura sagacitate, quâ donavit eam Conditor, creata conservat, & decreturis aliàs nova semper adjicit augmenta. Sic & creatus Magnes propagatur. Natura scilicet ministra Numinis, quotidiè apto semine conquisito massam magneticam multiplicat. At hæ sunt remotæ & universaliores causæ: datur proximior. Hæc est ipse spiritus magneticus, qui modo à nobis hætenus ignorato, matricem magneticam penetrans, conclusam ibi terræ particulam ab omni sordē alienā expurgatam, ut jam percipiemus, viribus à Deo & Naturâ insitis in Magnetem convertere pollet. Illa verò materia necessum est, sit pura, genuina, & homogœnea telluris portio, fuliginis magneticæ capax. Non enim hic remotas materias quærimus ut IV. Elementa, aut artis spagyricæ salem, sulphur & Mercurium. Sed proximam. Quæ nihil aliud est, quàm illa ipsa terræ portiuncula magneticæ venæ inclusa, & post variam decoctionem ab omni humido superfluo vindicata. Unde quis colligat, ubiqve locorum esse corpora magnetica, aut propter profundiores sedes & impeditos recessus latere incognita aut propter imbecilliores vires à nobis non agnosci. Cur? quia ad generandum magnetem non tanta materiæ generositas & varia cooperantia, ac ad reliquos mineralium foetus requiruntur. Sed terra naturalis, nullâ tamen heterogœnearum materialium adspersione vitata. Nam si inchoatarum ad magnetica corpora venarum partes heterogœnearum materialium mistura foedentur, adeoque veriores, & magis genuinæ terræ par-

partes nimium dispersæ & disunitæ non excrescant, accedente de-
inde halitu illo metallico, ex communi naturæ æstuario vi subter-
ranei ignis per venas terrarum magneticas propagato, fixatoq;
tandem inibi cum succo metallico sibi adpropriato, qualem sul-
phur impurum & terrestre dicunt, cum aliquâ salis, aluminis atq;
hydrargyri itidem terrestris & impuri portiuncula, ferrum gene-
ratur; unde quia hoc facillimè contingit, nulla ferrifodina sine
magnete, aut potius magnetifodina sine ferro: sicut hæc omnia
prolixè & eruditè pertractavit ATHANASIUS KIRCHERUS *de*
art. Magn. lib. 1. p. 1. c. 3.

§. 5. Circâ Magnetis formam investigandam omnibus ad
salutare illud occultæ proprietatis, ut SCALIGER nominat, asy-
lum confugiendum esse constat: Quod nonnullis ignorantia di-
citur, quibus tamen imbecilla mentis nostræ acies potius accusa-
tur, quàm Occultæ Qualitates culpantur, juxta B. SENNERTUM
in Hypomn. 2. c. 2. ubi & hæc AVICENNÆ verba adducit: *Igno-
rantia causarum hujus virtutis in Magnete, non est mirabilior, quàm
ignorantia causarum disponentium res ad rubedinem, aut citrinita-
tem, aut corpus, aut animam.* Et postea: *Si ignis esset res difficilis in-
ventionis, & de longinquis partibus afferretur, admiraretur utiq;
vulgus de proprietate ejus amplius, quàm de proprietate corporum
ceterorum &c. Actio vero Magnetis quia rara est & inusitata, in-
ducit admirationem, & provocat ad mirandum de causis ipsius. Ni-
mirum si in originem harum qualitatuum inquiratur, earum tam cer-
ta quàm manifestarum potest haberi scientia.* Hæc apponere vo-
lui, ut maximè cum veritate rei congruentia. Nam ut Poëta canit:

Multa regit sacro involucre natura, neq; ullis

Eas est scire quidem mortalibus omnia, multa

Admirare modò nec non venerare, neq; illa

Inquires, quæ sunt arcanis proxima.

Formam igitur Magnetis aliam dicere nequimus, quàm origina-
lem qualitatuum magneticarum causam, quod tamen in demon-
strationem ejusdem per idem incurrit. Nec interim in hac huma-
næ mentis caligine, ulterius progredi à Deo & Naturâ concessum
est. Nam ut Scaliger dicit, *Forma res divina est, cujus exquisita cogni-
tio nos latet. Quare ulterior disquisitio morosi atq; sat agentis animi
est. Humane sapientie pars est, quædam æquo animo nescire velle,*

Exo

Exerc. 307. sect. 29. Sic nec formas elementorum aut ullius misti cognoscimus, nisi à posteriori, à priori nunquam.

§. 6. De Fine nunc dispiciendum: *Quenam sit causa finalis Magnetismi in mundo?* Respondetur: Utilitas, quæ primò cedit in divini Numinis gloriam. DEUS enim omnium rerum centralis magnes, omnium creaturarum etiam honorem sibi soli attrahit. Cui videlicet omne illud debetur, quicquid magno magnetismo naturæ deberi putatur, & à quò tota rerum universitas & ipse Magnes magnetismum suum accepit. Deinde verò magneticâ hâc confibulatione, naturæ author propriè ad immensum hoc telluris corpus compaginandum usus est, ut hâc veluti mundani quâdam dorsi spinâ, quâ partes partibus firmiter solidiusq; connecterentur, certo ordine à polo ad polum dirigeretur. Tertius autem & præcipuus finis usui humano destinatus est, dum scilicet usu acus magneticæ totus orbis fruitur, variis inventionum generibus: ut e. g. in solariis, & cum primis pyxide nauticâ, quâ vix utilius quid mercimoniis emundis vendundisq;ve, & reliquis humani consortii ordinibus inveniri potuisset.

§. 7. Atq; hæc de causis perstricta potius quàm tractata sufficiant. Jam breviter quoq; Qualitates ex earum causalitate emergentes contemplantur. Hic omnem admirationem excedentia ludibundæ naturæ specimina conspici licet, vim videlicet amica attrahentem, & motu *δυμόρφω* ad Borealem & Australem polos se convertentem. Hæ enim potissimæ sunt Qualitates magnetismi, de quarum origine tam anxie in Scholis Philosophorum disputatur. Quod prius spectat, quidam putarunt ferrum idè à Magnete trahi, eò quòd magnes animatus sit, sive vivat, vitamq; ferro communicet. Imò CARDANUS putavit ferrum à Magnete ut pabulum appeti, unde in scobe ferreâ quàm optimè conserveatur. Verùm has sententias CONIMBRICENSES & SCALIGER abundè refutarunt, demonstrando Magnetem animâ non pollere, cum nullum vitalis functionis specimen det, nec, si animatus esset, nudam attractionem ad communicationem vitæ suffecturam fore. Ferrum autem ut pabulum à Magnete allici SCALIGER vel elusione sat refutavit, dum Scobem ferream, Magnetis repositorium, etiam graviore pondere repertam enunciat, ferrugine forsitan auctam, nedum ab incluso magnete esitatum. Alii putarunt,
fer-

ferrum ad magnetem ut ad finem suum naturali propensione
properare; quod itidem CONIMBRICENSES discutunt, tribus
potissimum argumentis usi. Primum desumunt à causalitate fi-
nis, quam nulla locorum intercapedo tollat, cum contra Magnes
non è quavis distantia ferrum alliciat. Alterum est, manifestè vi-
deri vim aliquam effectricem hebescere in magnete, alii succo
aut hircino sanguine peruncto, quod non fieret, nisi virtus attra-
ctrix in Magnete lateret; Quæ ipsa vis attractoria tertio etiam con-
cathatam annulorum ferreorum seriem tam solidè connectat,
ut ita necessariò statuendum sit, Magnetem ut causam efficientem
non finalem concurrere. De qua re etiam egregiè differit B. AL-
GUSTINUS lib. 21. de Civ. Dei, cap. 4. *Cernebam, inquit, à magne-
te ferreum annulum raptum, atq; suspensum, deinde tanquam ferro,
quod rapuerat vim dedisset suam communemq; fecisset, idem annulus ad-
motus est alteri, eumq; suspendit, atq; ut ille prior lapidi, sic alter annu-
lus priori annulo cohererebat. Accessit eodem modo tertius, accessit quar-
tus. Jamq; sibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrin-
secus, sed extrinsecus adherentium quasi catena pependerat annulo-
rum &c.* His perspectis concludimus magnetem ferrum ad se vo-
câre occultâ quâdam sympathiâ, sive qualitate intrinsecâ, à tota
Magnetis forma promanante, quâ in mutuuum consensum am-
bo rapiuntur; sicut succinum lychnites, adamas paleas trahunt;
sicut argentum vivum auri particulas. Sicut epithymium atram bi-
lem, Agaricus pituitam evocat. Sic quoq; Magnes ad ferri præsen-
tiam amoris quodam cæstro percussus varios motus lationesq; do-
nec bono tantoperè concupito perfruatur, affectat, ut nunc in di-
rectum nunc in obliquum feratur, nunc sursum, modò deorsum,
pro variâ sponsæ occurratione declinet, jam lætus & hilaris sum-
mo impetu in ejus amplexus ruat, modò indignabundus ab ejus
aspectu anxius & sollicitus se subducatur, gemitus, suspiria, querelas
cæterasq; se amantium vices zelotypico quodam agitato affectu
verset. Non enim hic contraria agunt & patiuntur invicem teste
FABRITIO PADUANIO in tract. de vent. c. 2. sed amica. Hinc Poëta:

Flagrat anhela silex Et amicam saucia sentit

Materiam placidosq; chalybs cognoscit amores.

Mireris ergò lapides quoq; suos pati ardores

rigido regnare in marmore flammæ.

B

Po.

Potissimum autem Magnes illa attrahit, quæ analogiam quædam
& cognationem cum attrahente obtinent, ut Magnetem, ferrum,
chalybem; quod & peculiariter magneticam ab electrica attractione
discernit, uti fusius de his differit sæpè laudatus KIRCHERUS *lib. 3.*
Caten. Magn. part. 3. c. 3.

§. 8. Alteram qualitatem quod attinet, Magnetis scilicet ad polos
mundi conversivam: cujus cum præcipuus & famosior usus in py-
xide nauticâ sive versoria consistat, de illâ quædam adjicienda du-
xi. Est igitur Versoria, describente LEVINO LEMNIO, *l. c.* nihil aliud,
quàm pyxidecula quædam sub se continens rotulam versatilem, pa-
pyraceam, planam, circinata rotunditatis, tenui ac bipartito fer-
ro suffultam. In cujus centro turricula ænea (nam ferrum rei effe-
ctum eo loco impediret) affixa est, quæ stilo aut cuspidi acutissimæ
insistit, eoque hinc inde in æquilibrio volvitur, atque ubi conquiescit,
pars illa, quæ lilii imagine inscripta est, & in quam ferramentum
Magnete confricatum desinit, stabiliter septentrioni obvertitur
polumque arcticum respectat, quocumque etiam contorto clavo na-
vis impellitur, unde fit, ut obtutu & observatione ejus nautæ flu-
ctibus marinis procellisque circumvoluti noctu & interdiu certo
vela moderari possint. Orbem autem illum, in quo 32. ventorum
termini seu puncta ponuntur, artifices in diversis regionibus & ur-
bibus pyxidi nauticæ variè connectunt: cujus quidem variæ com-
positionis nulla alia causa est, quàm varia in diversis mundi parti-
bus deviatio, suffragante KIRCHERO *l. 3. de art. Magn. p. 6. c. 2. probl. 2.*
Cum itaque utilitas hujus inventi jam ante complura sæcula cogni-
ta fuerit, factum est, ut quælibet natio ejus gloriam sibi præscribere
ambiret. Nam & Belgæ sibi præ cæteris adscribunt, & Angli à se
ad Belgas derivatum ajunt. Nec Lusitanis & Hispanis patroni cir-
ca hanc rem desunt. Sunt etiam qui affirmant ex Chinâ primum
anno 1280. per Paulum Marcum Venetum in Europam venisse, quos
tamen annalium Chinesium iperiti refutant. Graviore vero Au-
tores plerique Italo cuidam Amalphitano, Joanni Giræ, vel ut quæ-
dam putant, Giræ inventionem assignant, juxta versum:

Prima dedit nobis usum Magnetis Amalphis.

Hanc autem discrepantiam inter Autores exinde ortam existimo,
dum cognitâ Magnetis verticitate, postmodum variis variis subsidio
illius artificia invenerint, atque ita labentibus annis & cadente pau-
lisper

lisper primi inventoris certitudine in obvium quemque simile quid ad analogiam prioris æmulatum primæ inventionis gloria translata fuerit: ubi tamen, quod obiter monebo, nullum accuratioris & acutissimæ ingeniositate KIRCHERO, facile superiorem reperias. Is enim non tantum abscondita παντομίῃ naturæ miracula ex principio magnetismi fluere demonstravit. Sed & varias artes, ut Staticam, Centrobarycam, Geometriam, Astronomiam, Sciothericam, Horologiographiam, Mechanicam, Hydromanticam, Steganologiam, Geographiam & Nauticam in Magnete suo Applicato ex verticitate sideriticâ deduxit. In tertio etiam libro Simias omnis generis Magneticas, Magnetes Plutonicos, Æolicos, Junonicos, Vulcanicos, Magnetes Plantales, Animales, Microcosmicos, Megacosmicos & totam Catenam mundi Magneticam ferè juxta Cabalam X. Zephiroth artificiosissimè exhibuit. Quorum plerorumque, cum non nisi Iliadum spatio annotanda contineri possent, mentione factâ contentus acquiesco.

§. 9. Progredior ergò, quod caput rei est, ad disquirendas Magneticæ conversionis causas. Quapropter cum teste experienciâ in Magnete vis quædam dispositiva ad polos lateat, meritò à Philosophis quæritur, unde suæ virtutis trahat originem? Hic Rhodus, hinc saltus. Hoc itaque nonnulli respondent, unum esse ex iis, quæ nos mirari voluit, scire noluit natura, dum ex occultâ quâdam sympathiâ sive consensione stellæ polaris cum Magnete versionem versorialem fieri statuunt, ad eum sc. modum, quo Sol herbas aliquas ut Heliotropium, Tragopogonem, & Onithogalum secum vertat. Quarum partium etiam CONIMBRICENSES, CARDANUS, & FRACASTORIUS sunt. At hoc falsum esse latè ostendit Magnetis à Stellâ polari in diversis mundi partibus omninò varia & inconstans declinatio. Quod, si ratio illa vera esset, fieri nequiret. Alii hinc Magneticos sub Arcto Montes fingunt, quorum odore excitatus Magnes adeò ad natale solum se convertat. Sed & hoc falsum esse inde elucescit, quod non sub polis tantum, sed & in aliis regionibus, ut in Ilvâ, in littore Guineæ, Cretæ aliisque Mediterranei Maris insulis ejusmodi montes extent, quos tamen Magnes vel pyxis nautica nunquam respiciat. Dato autem, non concessio, rem ita sese habere, nonne sequeretur phantasticos hos montes propiorem versoriam efficacius tracturos? Id verò manifestæ experienciæ repugnat. Quippe quo remotior à Trionibus magnes eò accuratius polum ostendit; cum sub ipso polo aut propè ipsum constitutus finem suum consecutus sit: nihil autem ultra finem suum agat. Dicimus ergò non ab extrinseco quopiam agente, sed per intrinsecum principium & propriam formam hanc verticitatem fieri, ut jam declarabimus.

Notum

Notum est in homogeneis substantiis partes ex totius essentiâ & naturâ, quam eandem prorsus habent, manantium proprietatum & accidentium necessariò participes fieri. Cùm igitur supra sudiverimus Magnetem totius homogenei, Telluris videlicet, veram & homogeneam partem esse, imò penitus ei consimile & proportionatum corpus, fit ut totius etiam affectiones participet. Has inter præcipuum locum sibi vendicat vis hæc magnetica, quâ scilicet, tellus supra axem mundi irremissibili situ polos suos polis mundi æqualibus librata momenti obvertit, ut hæc æquipoponderatâ facultate ambientium astrorum influxum ad sublunarium rerum generationem destinatum commodius sine omni fluctuatione suscipere possit, quod sagacissimo providæ naturæ consilio ita ordinatum esse, quis non videt? Sicut igitur hæc ratione tellus ex insitâ à Conditore vi à polo ad polum constitutâ compaginatione magnetismum suum verticalem prodit; sic & omnibus genuinis filiis fida mater communicat. Hinc ergò Magnes ad situationem terræ se conformat, dum omnes ejus virtutes in se tam avidè exprimere nititur, cujus genuinum se filium novit, unde non mireris reliqua corpora, spuriiis quippe materiis vitata non eandem parentis virtutem obtinere, vide de his accuratissimè differentem **GUILLIELMUM GIEBERTUM**, de Magn. l. 1. c. 17. & lib. 4. c. 6.

§. 10. Verùm, ne justo prolixior sim, Magnetis definitionem tandem subjungo. *Magnes igitur est corpus minerale seu fossile, certis & à natura determinatis virtutum punctis constans, quibus & corpora sibi similia allicere, & ad situm naturæ suæ consentaneum videlicet polarem, se disponere possit.* Et quoniam definitio finis demonstrationis, imò ipsa completa demonstratio est, eam nunc assecuti, dissertationi etiam imponemus **finem.**

UT tu naturæ, sic est natura tuimet
 Magnes, naturas, ut retrahere, trahis.
 Naturæ Dominus lapis est magneticus, ad se
 Te trahit, ut retrahas, te rapit, ut rapias,

*Continuandi boni ominis ergò
 adscribebat*

PRÆSES,

